

Q. N. 351, 27^e.

T. 165.

(X 1860461)

II f
784

(3)

A & Ω.

DISPUTATIO ETHICA

Tertia & ultima

De

SUMMI BONI PRACTICI

EFFECTU

Bona Conscientia,

Quam

Inclytæ Facultatis Philosophicæ præscitu

ac indultu

PRÆSES

M. DAVID Schwertner / BOHEMUS,

Facultatis Philosophicæ Assessor & Collegii Major.

Princip. Collegiatus,

&

RESPONDENS

HEINRICUS ZIENIUS Lunæb. Saxo,

Philosophiæ Candid.

Publicè proponunt

die 2. Decemb, 1654.


horis locog₃ consuetis.



L I P S I Æ,

Ex Officinâ BAVCHIANA.





Inches 1 2 3 4 5 6 7 8

Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

KODAK Color Control Patches © The Tiffen Company, 2000

Kodak LICENSED PRODUCT

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
Light Blue	Light Cyan	Light Green	Light Yellow	Light Red	Light Magenta	White	Light Gray	Black
Dark Blue	Dark Cyan	Dark Green	Dark Yellow	Dark Red	Dark Magenta	White	Dark Gray	Black





PROOEMIUM.



Effatio ingenuo studioso ignavia est

Scal. exercit. 344. sect. 2. &

--- Ingenium longâ rubigine laesum

*Torpet, & est multò, quàm fuit, ante
minus.*

Pergamus ergò ut cæptum est nos invicem exercere & veritatem, quæ *ἐν βυθῷ* latitat, eruere; eruetur autem non commodius, quàm *amicis collationibus*: Sicut enim *lapidum collisione ignis*; ita ex *disceptationibus veritas elicitur Scal. exercit. 308.* Viso ergo summo bono *ceu causa*, videbimus nunc quoque ejus effectum, *bonam conscientiam*, hocque facturi, non inanes contentiones sectabimur, nec frivolis quæstionibus enucleandis inhærebimus (*non enim sapientis officium stultas pertinacias sectari aut insectari Arist. lib. 3. de part. anim. c. 4. Scal. exercit. 324. sed vana vanis & insanis relinquere Scal. exercit. 255. Cum sapientibus autem sapienter sentire. Idem Scal. exercit. 3.*) sed rei dignitate, jucunditate & utilitate persuasi, scitu necessaria proponemus & bonæ conscientiae naturam, quoad fieri poterit propius intuebimur. Quod ut summo conscientiarum Rege benefortunante fiat, rogamus.

*De conscientia bona rectè quoque in Ethica
agitur.*

§. I. Hanc Thesin præmittendam ducimus, ut partim salvetur *inscriptio*, partim ejus *genuinus locus* indicetur; disceptatur autem inter *Physicos & Ethicos*. cuius conscientia bona suam debeat sedem, num *Physico* an *Ethico*. Et uterque rationibus, quas pro se allegare potest, non destituitur: *Physicus* enim provocat ad *subjectum* cui conscientia bona inhaeret, quod est *intellectus practicus*, qui spectat ad *animam rationalem*, hæc autem ad *corpus naturale*, quod *Physicæ cognitionis*: Anima ergo quatenus corpori unita, in eo functiones suas administrat, *Physicæ* subjacet: Hujus enim est non tantum corpus ceu unam partem hominis essentialem contemplari, sed quoque animam alteram ejus partem essentialem cum potentiis cognoscere: Quodcunque enim de toto agit, etiam de ejus partibus potentiisque agat necesse est. Unde pro *Physica collectio* talis nasceretur:

In qua disciplina agitur de Anima ejusque potentiâ intellectu, in ea etiam de hujus actu merito agendum.

Sed de Physica verum prius E. & posterius.

Ethicus pro se allegat *summum bonum*, cui arctissimè conscientia adheret, adeo ut sine hac ceu animi tranquillitate consistere nequeat, & nemo verè felix in hac vita esse valeat, nisi sibi benè conscius sit. Ut itaque eundem locum, quem tuetur *summum bonum*, bona quoque conscientia ceu ejus proximum consequens sibi adscribat, qui nullus alius nisi *Ethica*, cujus est pars; unde tale pro se colligere potest ratiocinium.

Qui tractat causam, illius quoque est perpendere effectum.

Sed Ethica tractat causam nempe summum bonum.

E. Et ista quoque perpendat ejus effectum seu bonam conscientiam.

§. II. Ut ergo dicamus quid res sit, distinctione quadam litem diremtam dabimus; siquidem *consideratio conscientie duplex*: una *absoluta*, altera *respectiva*; *absoluta Physicæ*, *respectiva Ethicæ* adscri-

adferibenda: ibi *natura & essentia* intellectus adeoque etiam
ejus actus investigatur; hinc autem in quantum habet *schesis*
quandam ad felicitatem humanam: atque tali respectu omnino
ad forum Ethicæ spectat. Uno verbo, conscientia quatenus sim-
pliciter ad intellectum spectat, Physicam salutatur; quatenus ut
summi boni antecedens & consequens habetur, Ethicam rectè
agnoscit.

THESES. II.

Datur Conscientia.

§. I. Ita omnino demonstrandum quod sit de quo dispute-
tur, priusquam ostendatur quid sit: Dari autem conscientiam in
homine, tot & tanta demonstrant facta, ut qui hinc dubitare ve-
lit, nihil aliud agat, quam cum Diogene medio in meridie accensa
lucernâ hominem querat. Licet enim reperias tam altum dormi-
entis conscientia homines, qui non aliter, ac insipientes in cor-
de suo, esse Deum, sic isti esse conscientiam foris insipientur, o-
mnes tamen intus fateri coguntur, & quasi convicti herbam,
porrigere tenentur, dum opinionem suam mirum quantum præ-
dicare ac defensitare sæpè student, non aliter ac si ipsi sibi diffi-
derent, & aliorum consensu refocillari cuperent. Quivis enim
sentit in se quandam *δύναμιν*, quæ agendorum index & actorum
iudex sit, quæ instar associati prædagogi semper moneat & insti-
get, & si monendo nihil proficiat, virgas expediat & experiatur
an vexatio datura sit intellectum: Et si nec hoc cum fructu, de-
mum ut fida domino canis adlatrans ostendat se mutam non esse,
sed furem prodat & personam adversarii & accusatoris induat.

§. II. Uti exempla non tantum Doctorum & Sapientum, sed
& abjectissimorum, & de fece vulgi, qui omnis cultus ac disciplina-
rum expertes, instar belluarum in sylvis degunt, testantur. Quid
enim erat quod Bessum cantu hirundinum accusabat, nonne con-
scientia? Quid illud, quod Neroni tantum terrorem incutiebat, ut
insuper habitâ suorum gratulatione, dignas parricidio suo pæ-
nas intus sentiret? Nihil aliud quam conscientia; Nullius enim
alius legis violatorem se agnoscebat, non Seneca, hunc enim in-
terfici jusserat, non superiorum alius, se enim legibus solutum.



persuaserat. *Judicium* ergo quod *intus* ferebat, erat in causa, hoc tamdiu torquebat eum, donec culpam fateretur, hoc simul *actor* accusans, *carnifex* torquens, *testis* convincens, *judex* condemnans erat. Hoc judicabat *Dionysium* ut tonsoris novaculæ barbam committere non auderet, sed filiabus radendam traderet, cumq; & hæ suspectæ ipsi viderentur, titione eandem ambureret. Ut silentio involvamus *Caligulam*, *OEdipum*, *Heliogabulum*, *Tiberium*, aliosq; *Gentiles* & *Tyrannos*, qui sceleribus occultis commaculati, supplicia ultrò ac spontè poposcerunt, vel sibimetipsis sæpè manus violentas intulerunt. De quibus *Suetonium*, *Herodotum* opus *Zwingeri* fol. 4. lib. 4. legere est.

§. III. Accedunt dicta & sententiæ *Ethnicorum*, quibus conscientia existentiã probarunt: ut *Ciceronis* pro *Mil.* *Magna est vis, inquietis, conscientia in utramq; partem, ut nihil timeant, qui nihil commiserint, & panam semper ob oculos versari putent, qui peccarint: Et ejusdem* parad. 2. *te conscientia stimulant maleficiorum, te metus exanimant, judiciorum atq; legum, quocunq; aspexisti, ut furia, sic tibi occurrunt injurie, quæ te respirare non sinunt. Et pro Sext. Rose.* *Nolite putare, inquit, sicut in fabulis sæpè videmus, eos qui aliquid impiè scelerateq; commiserunt, agitari & perterriti furiarum telis ardentibus, sua quemq; fraus, & suus terror, maximè vexat, suum quemq; scelus agit at amentiaq; afficit, sua mala cogitationes conscientiaq; animi terrent.* *Seneca* *Epist.* 98. *prima & maxima peccantium est pœna peccasse, nec ullum scelus, licet illud exornet fortuna muneribus suis, licet tueatur & vindicet, impunitum est, quoniam sceleris in scelere supplicium est.* Et hæc quoq; causa cur *Macrobius* lib. in *somn. Scip.* c. 10. *per vulturem jecur immortale pertudentem* nihil aliud intelligat, quàm tormenta conscientia, obnoxia flagitii viscera interiora rimantis, & ipsa vitalia indefessa commissi sceleris admonitione laniantis, semperq; curas, si quiescere fortasse tentarint, excitantis. Non aliter ac *fibris renascentibus* inhaerendo nec ulla sibi miseratione parcentis lege hæc, quæ de se *judice nemo nocens absolvatur, nec de se suam vitare possit sententiã.*

THEŒ.

THES. III.

Datur quoque Conscientia bona.

§. I. Nam & hanc probat *universalis* hominum *experientia*: Quilibet enim non tantum *malè* sed & *benè* à se gestarum rerum conservationem sentit, propterea lætatur & exultat, hilarem vultum ostendit, omnemque sollicitudinem ejus beneficio vincit. Est enim *tutissima* periculorum *πανοπλία*, est in hujus vitæ variis procellis teste *Chrysofomo serm. 4. de Lat. fida ac sacra quædam anchora*, quæ non finit nos in peccatorum barathrum demergi. Sicut enim navis in vasto pelago ventis huc illuc rotata, & circumacta, tandem deprimatur aut subvertatur necesse habet, si careat anchoræ firmamento: Sic animæ, quæ funem conscientiæ bonæ, quo colligata, abrumpit, necesse est *spiritualibus mundi, carnis, Diaboli* impulsa, *typhonibus* subsidat ac naufragetur, eoque magis quia *conscientia bona* sic est anchora, ut simul & clavus & gubernaculum fit, quo custos Deus velut naucleris navigium ad salutis portum impellit.

§. II. Et hoc tam clarum ac manifestum est, ut ipsorum *Ethnicorum saniorum consensum* quoque evicerit, qui uti *conscientiæ vim* in utramque partem agnoverunt scriptisque confirmarunt, ita *bonam* præcipuè commendarunt. Hinc *Bias* roganti quidnam hac in vita metu careret? *bona* inquit *conscientia*: Et *Periander* quærenti, quid esset libertas? respondit *recta conscientia*. Hæc *rectæ voluntatis maxima consolatio est rerum incommodarum*. *Cicero lib. 6. Epist. famil. 5 lib. 7. Epist. vacare culpâ maximum solatium æstimat*. Et poëta *Ovidius lib. 4. fast. Conscia mens recti fame mendacia ridet*. Ut & *Horatius lib. 1. Epist. 1.*

Hic murus abeneus esto

Nil conscire sibi, nullâ pallefcere culpâ.

§. III. Idem docent *piorum gaudia* ex *testificatione bonæ conscientiæ*, de quibus *D. Johannes 1. Joh. 3. Εάν η καρδια ημῶν μὴ καταγινώσκῃ ημῶν, παρρησίαν ἔχομεν πρὸς τὸ θεόν*. Et *D. Paulus. 2. Corinth. 1. v. 12. Η καύχησις ημῶν αὕτη ἐστὶ, τὸ μαρτύριον τῆς συνειδήσεως ημῶν &c.* Hinc est præclarum elogium conscientiæ apud *Hug. lib. 2. de anim. c. 9. Conscientia bona* inquit, *titulus est*

est religionis, templum Salomonis, ager benedictionis, hortus dilitiarum, aureum declinatorium, gaudium Angelorum, arca fœderis, thesaurus Regis, aula Dei, habitaculum Spiritus S. liber obsignatus & clausus & in die iudicii aperiendus. Et apud Bernh. lib. de inter. dom. c. 22. qui laudes conscientia bonæ ita extollit, nihil est jucundius, nihil securius bonâ conscientia, premat corpus, trahat mundus, frendat Diabolus, illa erit secura, secura cum corpus morietur, secura cum anima coram Deo presentabitur, secura cum utrumq; in die iudicii ante terrificum tribunal iudicis statuetur: futura beatitudinis non est utilius remedium, nec certius testimonium, quàm bona conscientia. Et alibi in lib. de confid. ad Eugenium divinè sic scribit: Quid ditius, quid in corde dulcius, quid in terra quietius & securius est bonâ conscientia: Damna rerum non metuit, non verborum contumelias, non corporis cruciatus, quæ & ipsa morte magis erigitur quàm deprimitur.

§. IV. Ut taceamus preces & vota sanctorum pro bona conscientia, ut silentio involvamus studium virtuosarum actionum, pro eâ consequendâ, ne quoque tangamus testimonia sacra in quibus mentio bonæ conscientia fit Prov. 15. v. 15. Sirac. 13. v. 30. Quæ omnia dubium, si forte cuipiam tam extremè malitioso de ejus existentia subortum fuerit, sufficienter adimere possunt.

THES. IV.

Derivatur autem Conscientia à præpositione cum & nomine scientia.

§. I. Cum vocis usu sæpè numero provehamur in rei perceptionem Scal. exercit. 1. sect. 1. conscientia Etymologiam minimè prætereundam censemus. Est autem vox composita ut quivis facile videt, ex cum vel con & scientia, quasi cum aliis scientia dicta, quia dicit ordinem scientia ad aliquid, & non tantum cogitationes, affectus, dicta & facta secum commissa & habita involvit, sed etiam hâc ratione alios cum se conscire includit: sicut enim is qui rem simpliciter novit, scire saltem dicitur, ita qui cum aliis novit, conscire æstimatur: ut itaque vox conscientia non nudam actionum notitiam, sed simul alios testes notet, scil. ipsum Deum arcana cordis nostri scientem Hiob. 16. v. 20. Psal. 139. v. 3. Sap. 1.

Sap. 1. v. 8. vel Angelos qui nos, nostraque observant, de quibus Bernhardus homil. 13. sup. Psal. Cautè ambula & in quovis diversorio, in quovis angulo, Angelo tuo reverentiam habe. Vel, alios homines, siquidem rarò soli peccamus, sed plerumque scelerum nostrorum habemus socios, unde nihil in occulto, quod non tandem aperiatur dies,

Fama (enim) manet facti, posito velamine currunt

Et memorem famam, qui benè gessit, habet. Ov. l. 2. fast.

Vel tandem quoque Diabolos, qui malefacta inflant & sufflant, juvant & promovent, post exaggerant, & primùm omnium ad tribunal divinum deferunt, unde κατήγοροι τῶν ἀδελφῶν ἡμῶν vocantur Apoc. 12. v. 10.

§. II. Sylvius autem magis rem quàm nomen observans, conscientiam dictam putat quasi concludentem scientiam, atque ita ipsum Syllogismum practicum ex lumine naturæ, quid honestum quidve turpe sit, judicantem ac concludentem intelligit, quam sententiam, eum potius Grammaticalia concernat, hinc rigorosè examinare nolumus, saltem hoc adjicientes, quòd conscientia, si legibus & recte rationi sit conveniens, licet cum aliis scientiam vel scrutinium sua significatione contineat, bonitatis titulo & attributo insigniatur bonaq; conscientia salutetur.

THE S. V.

Vox conscientia ut & bona est ambigua.

§. I. Ita misà Synonymià, quæ varia Encomia, quibus dignati sunt autores & scriptura sacra, includit, dum scilicet Origeni conscientia sit Spiritus corrector, Pedagogus animæ, lib. 2. dist. 24. quest. 2. Hugo templum Salomonis, agrum benedictionis gaudium Angelorum &c. vocet lib. 2. de Anim. c. 9. Et scriptura sacra καθάραν συνείδησιν puram conscientiam 2. Tim. 1. v. 3. καλήν συνείδησιν pulchram conscientiam Heb. 13. ἀπερόσκοπον συνείδησιν conscientiam offensæ expertem Act. 24. v. 16. statim Homonymiam evolvendam sumimus: Hanc enim sicco pede præterire velle est errorem committere velle, siquidem non uno eodemque modo ab autoribus accipitur, sed interdum sumitur pro αἵτι primo seu δυνάμει ipsa judicandi & discurrendi, quo sensu videtur usurpari

B

1. Cor.



1. *Cor. 10. v. 29. quid libertas mea judicatur* ἢ ἀπὸ ἄλλης συνειδήσεως
ab alia conscientia, hoc est, ab alterius intellectu & iudicio, se-
cundum quem significatum nonnulli inter Scholasticos consci-
entiam definiunt per *potentiam naturalem*, addita hac ratione
quod actus accusandi, consolandi, vel perterrefaciendi con-
scientiæ adscribi nequeant, si ipsa esset actus & non potentia:
Quæ ratio tamen tam valida non est, ut in hanc sententiam sim-
pliciter nos trahi patiamur, siquidem ejusmodi effecta tribuun-
tur in scriptura sacra cogitationibus, de quibus non potest dubi-
tari quin sint actus *Rom. 2. 15. cogitationibus sese mutuò accusanti-
bus l. excusantibus*. Ratio autem est hæc, quia res motu factæ non
tantum sunt effecta moventis, sed etiam ipsius motus: Ergò hæc
acceptio non sufficit, sed adhuc aliud quidpiam requiritur.

2. *Pro actu completo, seu tota ratiocinatione practica vel syl-
logismo practico*, dum primùm majorem desumit ex regula virtu-
tis & honestatis sibi impressa, quæ agenda vel omittenda, hone-
sta & turpia ostendit ac docet, *minorem* autem ipsa beneficio
memoriæ addit, & inde pro homine vel contra hominem con-
cludit tali modo: *Deus est colendus aut punieris: Ego Deum colui,
E. non puniar*: Atque sic infert sententiam absolventem, quo
sensu sumitur *Rom. 2. v. 15. testimonium reddente illis conscientiam
ipforum, & inter se invicem cogitationibus accusantibus. aut etiam
defendentibus*.

3. *Pro actu, quo cognoscimus & reminiscimur*, quæ ipsi egi-
mus vel non egimus, adeoque pro solâ syllogismi practici mi-
nore, quomodo *Gen. 43. Fratres Josephi sumunt, dum se excu-
sant, quod non sit in ipforum conscientia, quis posuisset pecu-
niam in marsupiiis & Eccl. 13. dicitur bona est conscientia, sui non
est peccatum in conscientia & c. 7. 23. scit conscientia tua, quia tu sepe
maledixisti aliis & S. August. lib. contra Secundinum Manicheum c. 1.
senti de Augustino, quicquid libet, sola me in oculis Dei conscientia
non accuset: quem actum vocat Steuberus *speculativum lib. 1. Theol.
Mor. c. 1.* addita ratione, quod præterita tantum respiciens, nul-
lam actionem, quam facere l. omittere oporteat, præscribat.
Quæ autem simpliciter accepta vera non est, neque probat quod
probare debet, licet enim eo respectu, dum præterita respiciens
nullam*

nullam actionem l. faciendam l. omittendam præscribit, practica dici commodè nequeat, dici tamen optimo jure potest & est talis cum *præterita* respicit & *examinat*, an legi naturali & recte rationi congrua, an secus, & si facta hominis ab hac legis scientia vel discessisse l. secundum eam commisisse, invenit, judicat & hominem pro ratione facti vel *absolvit* vel *condemnat*, quæ omnia *praxin* involvunt.

4. Accipitur quoq; pro actu, quo ratio dicitur, quid in particulari sit faciendum l. fugiendum, & sic se extendit ad opera instantia & futura, adeoque pro sola Syllogismi practici *major* declarante, quæ agenda tanquam honesta, quæ omittenda ceu turpia, sumitur: quo sensu videtur accipi *Rom. 13. vers. 5. Obedite non solum propter iram, d. etiam propter conscientiam*, hoc est non modò ad effugiendas pœnas, sed & propter rationis judicium, quod dicitur, obediendum esse. Et *Basilii Homil. 12. ad populum circa medium*, quæ est in principium *Prov. Salom. quoniam ex ipsius Salomonis sapientia cogitationes justorum judicia sunt, viro sapienti omnino satagendum erit, intra cordis arcana tribunal constituere, rectaq; facere judicia, mentem quoque velut in trutina suspendere ad ea, quæ conveniunt, & ad quodlibet agendum equâ lance librare. Tandem 5. pro actu, quo cognoscimus facta nostra præterita, & judicamus ea vel bona vel mala vel premiis vel pœnis subjacere, adeoque ipsam conclusionem Syllogismi practici suâ significatione includit, quem sensum habet, ubi dicitur vel accusare vel excusare & exhilarare E. g. *Hebr. 13. confidimus quod bonam conscientiam habeamus*, qui significatus hîc potissimum, non tamen simpliciter *excluso secundo* à nobis attenditur, hîc enim conscientia consideratur ut effectus S. B. adeoque ut conclusio ex bona actione orta, unde etiam bona dici meretur conscientia.*

§. II. Quæ *bonitas* autem ambiguitate non caret, invenitur enim apud Autores triplex vel *transcendentalis*, quæ uti *finis* cujusque rei, sic etiam conscientia innuit, & dicit, *essentialem bonitatem*, & nihil aliud involvit, quàm *convenientiam ejus cum propria suâ naturâ*: in se enim, prout est *notitia & recordatio factorum*, bonitate non destituitur, omne enim *Ens bonitate*, si non *morali*, tamen *transcendentali gaudet*, quæ *acceptio, ceu*

Metaphysica, Metaphysico quoque meritò jam relinquatur: vel
Theologica, quæ in Dei commiseratione meritoq; Christi per fidem,
nobis applicato consistit, & ad forum Theologicum spectat: vel
denique *Ethica & moralis*, quæ convenientiam cum lege naturæ
& rectâ ratione in factis & actionibus dicit, & est hujus loci.

§. III. Quâ ratione *bona nostra conscientia* distinguitur re-
liquis *conscientiæ speciebus*, quæ tales dicuntur, non eo sensu, ac si
diversæ essent animæ facultates, sed quia se habent ut distincti
modi, vel actus & judicia de factis, cum *aliter conscientia de bo-*
nis, aliter de malis actionibus judicet: Quæ distincta judicia Scho-
lastici species vocant, & sex constituunt: quarum *prima* est nostra
bona conscientia infra definienda. *Secunda mala*, quæ oppositum
bonæ, & sic vocatur, *non ratione sui*, quasi in se & ratione suæ
essentiæ mala sit, in se enim bonitate non destituitur, sed *ratione*
objecti, quod est factum malum, vel *respectu subjecti*, quod est ho-
mo, malum hoc designans, cujus memoria & iudicio affligitur.
Tertia errans, certa pro incertis, & incerta pro certis approbans,
oriturque ex falsis ratioeinationibus, quas vel ignorantia, vel
incogitantia, vel oblivio parit. *Quarta opinans*, quando scil. In-
tellectus de re aliqua non est certus, sed tantum opinatur & in-
unam partem probabiliter honestam inclinatur, atque inde actio-
nem voluntati præscribit, timet tamen, ne forte & altera pars
contraria, honesta sit, quia notitiæ suæ probabiliter saltem ratio-
nem habet: Oritur ergò ex probabilibus illis rationibus, quæ
assensum firmum non faciunt, sed qualemcumque opinionem
generant. *Quinta Dubia*, quæ de opere aliquo nihil certi judi-
cat, sed suspensa hæret inter utrumque, ignorans, an, quod oc-
currit, faciendum sit vel omittendum, adeoque neque suadet,
neque dissuadet. *Sexta Scrupulosa*, quæ in actione ad quæstio-
nem pertinente, uni parti adhæret, sed quia levibus argumentis
movetur, ab actione deterretur, & sic velut perpetuâ animi for-
midine & anxietate torquetur. Quas species, si quis *ratione o-*
mnium circumstantiarum, causarum, regularum, & casuum, cogno-
scere avet, Scholasticos de his fusissimè disputantes videat, *Du-*
randum lib. 2. dist. 39. q. 5. p. 443. Gregorium de Valentia Tom. 2. disp. 2.
q. 14. p. 4, AZorium tit. 1. Instit. Moral. lib. 2. c. 8. & seqq. Amesium
lib. 1.

lib. 1. de conscientia c. 4. 5. 6. Laymannum lib. 1. Theol. Moral. tract. 1. de Consc. cap. 3. 4. 5. Tannerum tom. 2. Theol. Schol. disp. 11. de Actib. humanis q. 4. dub. II. III. IV. V. pag. 446. & seq. Inter nostrates Balduinum lib. 1. de Consc. casibus c. VI. VII. VIII. IX. seq. Nostri enim instituti est hęc vice saltem de prima specie bonę scil. conscientię agere, quę his omnibus distinguitur, cum non erret, nec dubia sit, sed omninõ certa earum rerum, de quibus testetur, neque scrupulosè circa oppositum versetur. Quibus sic præmissis & superstructis sequentem definitionem bonę conscientię, realem ponimus.

THESES. VI.

Bona Conscientia est iudicium ob benefacta hominem à culpâ & pœnâ, liberum pronuncians, eumq; letum faciens.

§. I. Cum omnis definitio duo essentialia membra includat Genus, quod aliis quoque commune, & differentiam, qua distinguitur ab aliis, meritò hęc nostra his gaudet; posuimus autem generis loco *iudicium*, quod reliquis quoque speciebus conveniens est, cum & illis actus iudicandi de rebus substratis denegari nequeat; Non enim *conscientia* in homine *res otiosa*, sed tum ante, tum post factum operatur, ante factum, dum agenda iudicat, & ad ea instigat, non quidem per se, sed vigore legis innatę, quę vel facienda præcipit vel prohibet, hujus enim proprium obligare vel præcipere, *conscientia* autem se ut hujus *præco* habet, qui hujus virtute vel faciendum vel fugiendum homini dicitat, adeoque in *Syllogismo practico* primò *majorem* format, post ad assumptionem progreditur, officiumque suum exsequitur, quod est testimonium de factis, quę si bona fuerint, bonum quoque sit iudicium, adeoque juxta *tertium officium* post factum quoque operatur, dum illud honestum & justum pronunciat, hominemque ab omni *culpa & pœna* liberum iudicat, quod iudicium hęc spectat.

§. II. Quamvis enim iudicium quoque sit de *rebus faciendis* vel *sciendis* ut supra concessum, attamen hęc consideratur, non

quatenus *futura* iudicat, sed quatenus de *factis prateritis*, quod honesta & bona legibusque conformia, sententiam suam fert, adeoque sua significatione actum iudicii practici de praecedanea actionis bonitate dicit, & includit, unde apparet nostram hanc conscientiam non esse *habitum*, vel per hunc definiendam, ut quidam inter *Scholasticos Scot. Bon. Dur. Filliuc.* putarunt; quamvis enim concedi possit de *aliqua parte*, vel *principio conscientiae*, simpliciter tamen de *toto*, quod conscientiae nomine designatur, concedi nequit; *Habitus* enim, qua talis, officium unicum est, *inclinare* scil: *ad promptè agendum*, conscientia autem nostra *plures* alias habet *operationes*; *iudicare, excusare, absolvere &c.* quas immediatè exercet. Neque *principium*, ut *Castan. distinct. p. 88.* Siquidem & hoc conscientiae essentiam minimè exhaurit, sed tantum relationem aliquam ejusdem ad actiones dicit.

§. III. Cum autem conscientia sit *iudicium creature*, quae rationis capax, eique etiam parti competat, cui ortum suum debet, scil. *animae rationali*, cujus facultates *duae*: *voluntas & intellectus*, dispiciendum ulterius est, quodnam sit *subjectum inhaesivum*, vel materia in qua hujus iudicii: ubi diversa à diversis defenditur sententia, quidam ad voluntatem, quidam ad *intellectum* referunt, rationibus non destituti. Nos salvis aliorum iudiciis ad *intellectum respicimus*, hujus enim *scire, E. & conscire*, hujus est *dictare & nosse, iudicare & absolvere*, adeoque merito Conscientiae subjectum, non quidem *Principale*, cum & ipse sit accidens (accidentis autem non accidens) sed *minus principale & immediatum* quo ceu medio ad animam defertur, sicut paries coloris subjectum, mediante superficie.

§. IV. Intellectus autem cum vicissim *alius sit theoreticus, alius autem practicus*, prout ejus objectum vel nudam contemplationem, vel praeter hanc simul acquisitionem admittit, quilibet facilè videt, iudicium hoc non esse *Intellectus speculativi*, sed *practici*: unde etiam conscientia non ad hoc principium, *totum est majus qualibet sua parte*; vel *quodlibet est, aut non est*: Sed ad hoc *honestè vivendum: suum cuiq; tribuendum* concludit, atque sic de facto honesto, recto & licito iudicat, indeque nomine *bonae conscientiae* insignitur.

§. V.

§. V. Ubi vicissim diligenter caveas , ne cum Scaligero alijsq; Intellectum Practicum cum voluntate confundas , ac si voluntas sit intellectus extensus ad habendum vel faciendum , quod cognoscit , ut verba sunt Scaligeri *Exercit. 307. art. 3.* magnum enim discrimen invenies inter *Intellectum practicum & voluntatem*, si *ἀνεπιστάτων* eorum attendere vis : *Intellectus enim Practici* est rem aliquam apprehendere sub affirmatione vel negatione boni & mali : *Voluntatis* autem aut fugere aut appetere rem apprehensam : Ex quibus omnibus nunc dilucidè apparet, quid per iudicium in definitione allatâ intellectum velimus, videlicet *actum iudicii practici*, ex facultate intellectus, vi antegressi summi boni ceu virtuosa actionis, promanantem.

THESES. VII.

Differentia desumpta est à benè factis, ceu Conscientia objecto, ejusq; causâ.

§. I. *Benè vel bona facta* facimus *objectum bonæ Conscientiæ*, circa quod versatur, nolumus enim *facta* quacunque ratione *talia* *objectum* constituere, siquidem hæc *Conscientia in genere*, cui generaliter substernuntur, competunt, non autem *in specie* quatenus juxta regulas virtutum *talia*, iisque congrua esse debent, quæ sibi vendicat *bona Conscientia*, utpote quæ de his iudicat atque ex his conclusionem pro se facit, non aliter ac *mala Conscientia* ex malis actionibus.

§. II. Quânam autem in re bonitas facti *formaliter* consistat, disceptant multùm inter se Scholastici, quorum distinctas opiniones vide sis apud *Tannerum in Theol. Moral. Tom. II. Thomam, aliosq;* : Nos hac vice brevitati studentes, bonitatem vel ejus rationem formalem, misis aliis sententiis, *in solâ conformitate cum rectâ ratione & voluntate Dei* ponimus, adeò ut actio vel factum, si bonum esse debeat, conveniat, necesse est, *cum rectâ ratione ceu causa proxima*, cum *voluntate* autem Dei, ceu *causâ remotâ*, non tam illâ in scripturis & nominatim in Decalogo expressâ, sed in rationali hominis naturâ impressâ, quatenus Deus mediante illâ in genere morum necessarium & justum statuit, per modum legis, ab homine fieri velle, evidenter intelligitur :

§. III.

§. III. Cum præterea certi termini & modi sint, quorum respectu facta vel actiones humanae recte rationi legibus divinae conformes sint, ulterius ostendendum, quinam illi sint, ubi tres occurrunt, quibus conveniunt cum recta ratione & lege naturali. I. ratione objectorum. II. ratione circumstantiarum & III. ratione finis. Fieri enim potest, ut factum aliquod bonum sit, secundum quid, & ratione unius bonitatis, quod tamen malum ratione alterius si deest, prout recte Arist. lib. 3. Eth. c. 7. peccata, inquit, committuntur, alia, quod id agitur, quod non oportet, alia, quod non ut oportet, alia, quod non quo tempore oportet, aut aliquid huiusmodi. Ut ergo actio vel factum, quod Conscientiam bonam efficit, simpliciter bonum sit, necesse est, omnem in se contineat bonitatem.

§. IV. Maximè autem factum specificat vel etiam qualificat objectum, quod enim in rebus naturalibus dat forma, id in moralibus objectum: Quod si itaque hoc bonum fuerit, h. e. recte rationi divinaeque legi congruum, ipsum quoque factum bonum erit, & contra, ubi objectum malum, ibi factum quoque sperabis vitiosum. v. g. Eleemosynas dare, factum est bonum, quia ejus objectum quoque bonum, nempe sublevare proximi indigentiam; Contrà hominem occidere est factum malum quia ejus objectum, vitam hominis scilicet perdere, malum.

§. V. Idem & de fine & circumstantiis judicandum, siquidem & hæ non parùm afficiunt factum hominis, cum sæpè id, quod bonum ex objecto, malum sit ex fine, & quod bonum ex utroque, scilicet objecto & fine, malum tamen propter circumstantias v. g. Eleemosynas erogare pauperibus, bonum omninò est ratione objecti, sed erogare eas inanis gloriæ assequendæ gratiâ, malum & vitiosum est ratione finis. Sic pugnare pro patria in bello licito, est bonum ratione objecti & finis, sed pugnare pro patria, loco & tempore inopportunis, malum est. Ut itaque Seneca Epist. XCVI. non malè dixerit: non in facto laus est, sed in eo, quemadmodum fiat, Amico ægro aliquis assidet? probamus. Sed hoc si hereditatis causâ facit, vultur est, cadaver exspectat, eadem & turpia sunt & honesta: refert omninò, quare aut quomodo fiat.

THES.

THES. VIII. I

*Partim in ejus officio, quod duplex asseritur,
primum est hominis à culpa & pœna
liberatio.*

§. I. Quod saltem duo officia bonæ Conscientiæ in defini-
tione attribuerimus, nemo nobis dicam scripturus est; Cum e-
nim *definitio secundum monitum Philosophi brevis esse debeat*, id se-
qui volumus, & quamvis *vulgò quatuor bonæ Conscientiæ officia*
assignentur, scilicet 1. *de Innocentiâ testificatio*, 2. *excusatio*, 3. *abso-
lutio* & 4. *Consolatio vel letitia*, à potiori tamen libuit definitio-
nem nostram conficere, reliquis non exclusis, sed potius inclusis,
qui enim unum dicit, alterum non excludit, quod imprimis hîc
notandum, cum *absolutio à culpa & pœnâ* omninò secum trahat
testimonium quoque de innocentia, uti videre licet in eis, qui im-
munes sunt à culpa, adeoque sibi benè conscii, quàm audaces
sint, quantâque confidentiâ pro se suisque factis loquantur & re-
spondeant, & in omnibus rebus Conscientiæ suæ integritate ceu
firmissimâ anchorâ nitantur, deque quibuslibet rebus seriò trium-
phent & tripudiant, & quasi alto supercilio omnia humana de-
spiciant: scilicet

———— *Hic murus abencus esto*

Nil conscire sibi, nullâ pallefcere culpâ. Horat. lib. 1. Epist. 1.

§. II. Exemplo speciali nobis esse potest ex sacris *Hiobus* quæ ob
bonam suam Conscientiam, omnes *abacti greges*, omnes *ademptæ
opes*, omnes quoque *oppressi liberi* permovere non poterant, fal-
tem hoc efficiebant, ut quasi miserâ suâ oblectatus, Deo suo gra-
tias ageret, *psallendo, Deus dedit, Dominus abstulit, sit nomen Do-
mini benedictum*. Idem comprobat suo quoque exemplo *Mega-
lander noster Lutherus*, qui superiori seculo *Wormatiam* ali-
quando ad reddendam rationem pro Reformationis opere in-
choato, citatus, nihil periculi metuebat, sed *bonâ Conscientiâ* ceu
mille testibus stipatus, *Wormatiam* intrabat, & neglectis omni-
bus insidiis, quas sibi strui à suis adversariis suspicabatur, magno
& excelso animo illis respondebat; Hæc est illa dies, quam fecit

C

Domi-



Dominus: vocatus ego venio, vocatus ingredior, in nomine Dei, licet scirem tot esse Diabolos Wormatiæ, quot ædium in tectis tegulæ. Non ergò *Papæ comminatio*, non *Cæsaris proscriptio*, nec *Amicorum ob vitæ periculum debortatio*, heroicam hanc Conscientiam deterrere vel mutare poterant. Et ne nobis fortè quispiam dicam scribere audeat, quod saltem testes bonæ Conscientiæ producamus Christianos & Regenitos, ecce ex *Plutarcho Julium Drusium plebis Tribunum & religione hominem gentilem* in medium sistimus, quem *Plutarchus* maximè commendat, quòd cuidam opifici promittenti, se ipsius ædes vicinorum oculis nimium patentes, quinque thalerorum mercede mutaturum, responderit: decem dabo tibi, si totam domum meam conspicuam effeceris, quò cives omnes vitæ meæ institutum contemplerentur. Erat enim *vir temperans, justus, & moderatus*, quem conscientia sua non reprehendebat in vita sua, sed liberum à culpâ seu labe peccaminosâ voluntaria & consequenti pœnâ pronuntiabat, adeoque memor bonorum factorum, suo iudicio contentus suaviter acquiescebat, parùm curans hujus vel illius *γῆραν ὄδης*. *Φρόνημα*: nempe qui rectè facit facile mendacia ridet.

THESES. IX.

Alterum, Conscientiæ bonæ consistit in lætitiâ & solatio.

§. I. *Bona enim conscientia* in adversitate solatur, in angustia erigit, ne homo prorsus deficiat, dum mala patitur vel injustè premitur: licet ergò alii minus dextrè judicent, licet famam rodant, animus tamen sibi benè conscius contra calumnias excusat, ut minas hostium spernat, odium contemnat, atque sic lætum ac intrepidum reddit: qui enim homo præter culpam roditur vel læditur, benefactorum suorum recordatur, quorum cum optimus eventus infallibiliter expectandus, animum erigit, & sine omni metu summâ cum voluptate vivit. Ubi contra is, qui quibusvis vitiis deditus lætari verè nequit, malorum enim animus à seipso dissidet, secumque discordat. *Arist. lib. 9. Eth. c. 4. scilicet.*

*fataliter angor
omne nefas sequitur nec habet mens conscia pacem.*

§. II.

§. II. Nam hæc vis naturâ nobis inest, ut de honestis læte-
mur, & turpibus tristemur, quæ simul causa est, cur *voluptatem*
animi honestam potius in *sensu generali & composito*, quantum ni-
mirum cum conscientia bonâ simul importat rectè factorum
notitiam, indeque ortam animi lætitiâ, quàm in *sensu speciali*
& diviso acceptam velimus; Conscientiæ enim bonitas unâ po-
nit & parit voluptatem: si enim hæc tranquilla, satis amplam af-
fert gaudendi materiam: Unde comparatur Soli, qui nunquam
sine lumine exhilarante; sic ipsa conscientia bona nunquam sine
voluptate delectante, quid enim magis delectare posset, quàm
desiderii complementum & finis summi adeptio: uti dolemus, si
non impetramus, quæ sperabamus, sic fieri nequit, quin læte-
mur, si contingat id, quod contingere exoptamus, adeo ut rectè
Poëta dixerit

Κάλλιστον τὸ δίκαιότατον, λῶσον δ' ὑγιαίνειν

Ἡδίστον δὲ πέφυχ' ἢ τις ἐρᾷ τὸ τυχεῖν.

Si est justus, pulcherrima, si valet, optima res est

At perjucunda est, si quis habet, quod amat.

THESES. X.

*Homo ergò operam det, ut bonam Conscientiam
acquirat & acquisitam conservet.*

§. I. Hoc enim *duplex* hominum officium erga bonam
conscientiam meritò esse debet; Cum enim tam pretiosus sit
thesaurus, qui omnem hac in vita felicitatem secum trahat, eaq;
promittat, quæ euilibet chara atque accepta esse debent, operæ
pretium omnino est, eò intendere, quo hæc *acquiratur & possi-
deatur*, & si *possideatur*, sedulò & cautè *custodiatur*: fit autem hoc
omne, sedulâ virtutis actione, nam *hâc acquiritur* bona Consci-
entia, *hâc possidetur*, *hâc quoque conservatur*.

§. II. Perpetuo ergò tenore, virtutem colamus, virtuti stu-
deamus, & secundum eandem actiones nostras instituamus, ne
jucundissimi & pretiosissimi hujus Boni jacturam patiamur.
Omnes enim nobis invideant, modò hospitem hunc habeamus
nobis faventem, omnes nobis contradicant, modò testem hunc

C 2

audia-

audiamus nobis assistentem, omnes adversus nos debachentur, modò hunc amicum percipiamus solantem, unica hujus vocula est efficacior infinitis omnium opprobriis: Obest nihil si ex humanis tabulis nos deleat humana ignorantia, modò ex libro viventium nos non deleat impia conscientia, autore *August. lib. 1. Hom. 35. & Gregor. lib. 8. Epist. 48. sive laudemur, sive vituperemur, ad mentem nobis semper recurrendum*, & si in nobis non inveniamus bonum, quod de nobis dicitur, magnoperè dolendum, si non inveniamus malum, quod nobis imputatur, vehementer gaudendum.

§. III. Hinc optimè hac in re sibi consuluerunt *Ethnici sapientes* qui singulis diebus certas horas cordis scrutinio destinaverunt & si alicujus delicti rei facti, doluerunt, idque *sedulà virtutis actione* compensarunt. Uti satis probè de se *Seneca*: *Utor, inquit, hac potestate, & quotidie apud me causam dico: cum sublatus est è conspectu meo lumen, totum diem mecum scrutor, facta & delicta mea remetior, nihil mihi abscondo, nihil transeo. Nam quare quicquam ex erroribus meis timeam, cum possim dicere: vide ne illud amplius facias.*

§. IV. Ad conservationem autem bonæ conscientie multum præstant *certa quædam media*, quorum quatuor præcipuè recensent *Autores* 1. *Sancitas leges non violare*, 2. *Juramenta & 3. Vota licita servare*, 4. *Fidem datam & promissiones sèrvare*, de quibus aliquanto latius dispiciendum & differendum erit.

§. V. Et 1. quod concernit *leges*, observandum benè est, quales sint, quas Conscientia violare non debeat: Notum enim est, quod *lex* sit vel *divina* vel *humana*: *Divina*, quæ Deum ipsum Autorem habet, *humana*, quam homines ferunt, *divina* vicissim dividatur in eam quam *DEUS natura inscripsit*, & in eam, quam *speciali patefactione promulgavit*, quarum prior nomine legis naturæ, posterior autem appellatione Decalogi insigniri solet, quam posteriorem ad *Scholam Theologicam* cujus est, remissam cupimus, & hîc saltem de priori scil. *naturali & humanâ* dispiciemus, quænam scil. harum sit, quæ maximè ad Conscientie conservationem faciat, vel etiam illam obliget. Ubi ante omnia sciendum, quod & *conservatio & obligatio* hîc non confundenda, siquidem

siquidem utraque vel *principalis & immediata* vel *subordinata & mediata* est. *Principalis* est *ipsius legis naturæ immediate à Deo homini per naturam concessa*, quæ vel maximè *Conscientiam conservat*, eamque ad bene agendum omni tempore *obligat*, est enim expressio voluntatis divinæ, quæ constans & immutabilis est & esse debet. Qui ergò hanc legem servat, *Conscientiam suam conservat*, & qui eandem violat, *Conscientiam suam bonam quoque violat*. *Subordinata autem & mediata est legum humanarum, juramentorum, votorum & promissionum*, quæ *conscientiam bonam non ex seipsis*, sed tantum mediante vi & virtute *Legis divinæ naturalis servant & obligant*.

§. VI. Ubi simul & hoc quoque notandum, quando legibus humanis *Conscientiæ bonæ conservationem* adscribimus, nobis non esse sermonem *de legibus impiis & injustis, sed de veris & justis à Magistratu legitimo legitime sancitis*: si enim *impia & iniqua*, nihil faciunt ad *Conscientiam*, siquidem obtemperandum *legibus vel Magistratui ad aram usque, non ultra*, exemplo *Apostolorum Act. 4. 19. c. 5. 29. Et Servorum Saulis 1. Sam. 23. 17.* impia mandata contemnentium. Quod si autem *juste, veræ & graviores* de rebus arduis institutæ fuerint, earum observatio *conservat & etiam obligat Conscientiam*, sed uti dictum non *immediate* ac si earum *prævaricatio cultui divino per se adversetur*, sed *mediate, indirecte & hypotheticè*, quatenus 1. *ceu justæ & recte* in lege naturali fundantur, 2. ab eis *pax publica & societas humana* dependet & conservatur.

§. VII. Idem ferme *judicium sit de juramentis*: nam & hæc quoque firmandi *conscientiam vim habent*, si ea cuiquam data; ast illa sunt duplicia: *illicita quæ Deo & salutis publicæ non prosunt, sed obsunt*, quæque cum scelere præstantur & iniquitate servantur; adeoque hîc locum planè non inveniunt; de his enim notanda sententia *Isidori: in malè promissis rescinde fidem, impia enim est promissio quæ scelere adimpletur*: alia autem *legitima & licita* quæ propter bonam fidem sunt suscepta, & justè facta, quæ minimè respicienda, siquidem in his *veritas impletur, comitesque iudicium & justitia adsunt*, ideoque bonam *Conscientiam sartam tectamque conservant*, si & ipsa servantur, & eandem quoque violant si & ipsa læsa & scissa fuerint.

§. VIII. Nec minus & *votorum* in servanda bona Conscientia est ratio habenda, quod vicissim cum grano salis amplectendum: non enim *vota illicita*, quæ Deo adversantur, fidem ac charitatem lædunt, vel scandalum pariunt, sed *licita* iterum volumus intellecta, quæ nuncupantur Deo, utpote cui omnia nostra & nosmet ipsos debemus, & quidem de *re possibili & licita*, ad impossibilia enim nemo tenetur, neque Deo placent, quæ quis quidem promittit sed servare nequit, nam hæc temeraria sunt, & levitatem arguunt: in primis autem *legitimo fine* fiant, scil. non ex opinione *meriti*, vel *singularis cultus*, sed ex *libera voluntate*, ut ad preces, labores, meditationes, & virtutes capessendas promptiores simus. Hæc ut præstet is qui promisit, ad fidelitatem ejus pertinet, & sic illæsam conscientiam conservet.

§. IX. Tandem & promissiones non negligendæ, ut bona conservetur conscientia, si enim illæ liberæ sunt, peccato destitutæ, deliberatæ atque gratuitæ, cardo veritatis, honestatis & justitiæ omninô in illis vertitur, eaque propter servandæ. Qui enim multa promittunt, & pauca vel nihil servant, sunt mendaces & subdoli, adeoque taliter agendo vulnerant conscientiam, unde simul constat quàm dolosè sentiant Machiavellistæ, dum contra fidem datam agere autumant, & sua prorsus impia & diabolica consilia effutiunt & communicant. Non aliud corde sentiendum, aliud ore loquendum, depositô omni mendaciô loquatur veritatem quisque proximo suo, monente Apostolo Eph. 4. 25. Quibus autem in casibus promissiones non servandæ sint, & si non servantur, conscientiam non saucient, vide apud Balduin. in casibus Consc. & B. Meisn in tract. de S. B.: Nos hac vice ad finem properantes, tum hujus, tum aliorum mediorem conditiones & circumstantias partim *peculiariter hæc de re habende disputationi*, partim *ipsi conflictui* relinquimus, saltem differentiam adhuc inter *promissiones & vota* uno quasi verbo determinantes, quòd *votum* scil. differat à *promissione* ut *species à genere*, quia *votum* est *promissio* seu *sponsio* Deo facta, *Promissio* autem quævis pollicitatio, etiam ea, quæ homini fit. 2. *Votum* Deo fieri possit sine *ullis verbis vel signis externis*, per solam etiam *interiorem cogitationem*, cum Deus intueatur cor, ut dicitur 1. Reg.

1. Reg. 16. homo autem faltem videat ea, quæ patent, atque sic promissio *his carere* nequeat, ut *Thomas secund. secund. quest. 88. art. 1. 5.* perspicuè docet. Quibus sic positis, nunc finimus, Deum venerati supplices, ut sancto nos regat spiritu suo, quo *virtutis actio & bona Conscientia* in nobis conservetur, ut ita morali beatitudine imbuti tandem æternæ quoque beatitudinis reddamur participes, Deumque nostrum contemplemur: Cui sit Laus in secula:

P O R I S M A T A.

- I. Homo certus esse potest de bonâ Conscientiâ.
- II. Bona Conscientia est præstantior bonâ famâ.
- III. Bona Conscientia Ethica non est eadem cum Theologicâ.
- IV. Judex non debet judicare contra Conscientiam.
- V. Bona Conscientia non quodvis latroni præstitum juramentum servare permittit.
- VI. Vota Papistica calibatûs & Monachâtûs non obstringunt.
- VII. Vota Deo rectè voluntur.
- VIII. Juramentum, quod fit per falsum Deum, verum est juramentum.

AKT
184

Ad Præstantissimum

DN. RESPONDENTEM.

JAm quæritur *scientia*
JPlerisque, *conscientia*
Vel pauculis, vel nemini,
Primis labris ut sessitet.
Verùm, **ZIENI** oculissime,
Curæ tibi *scientia*
Cordique *conscientia*
Doctum piè facientia.

(3)

Boni ominis ergò perscribemat

HIERONYMUS KROMAYER D. Prof. Publ.

Ad Præstantiss. DN. RESPONDENTEM.

NIl conscire sibi nisi rectè atq; ordine facta
Virtutis merces longè est pulcherrima: Sortis
Cetera in arbitrio sunt præmia. Census, honores,
Et digito ostendi, & volitare per ora virorum
Egregium, fateor vel sunt Demosthene pulchra
Judice, sed nec certa satis, neq; roboris ampli.
Hoc agitas, HENRICE, animo, verasq; beate
Mentis opes sequeris. Quæ restant, sponte sequentur.

M. JACOBUS THOMASIUS, Ethices P.P.

HEINRICUS ZIENIUS Lunaeburgensis.

μεταστοιχειώσαμεν

En! *{ ingenuus } Cari Zelus in his verbis.*
{ genuinus }

EN! vehemens **ZIENI**, Cari commilitis, ardor
In Musas, Zelus sat genuinus item,
Splendet in his verbis, ab Eòdem ritè tuendi
causâ propositis, auxiliante Deò.
Ingenuus Zelus! recti sibi conscius idem
Mox poterit Laurum sumere. Plausus adest.


amicè συγχαίρει

JOHAN-GEORG Roth / *Leütenbergâ*
Thuringus. Ph. B.

F I N I S.

nc

1017



Inches 1 2 3 4 5 6 7 8

Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

KODAK Color Control Patches © The Tiffen Company, 2000

Kodak LICENSED PRODUCT

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
Light Blue	Light Cyan	Light Green	Light Yellow	Light Red	Light Magenta	White	Light Gray	Black
Dark Blue	Dark Cyan	Dark Green	Dark Yellow	Dark Red	Dark Magenta	White	Dark Gray	Black

